

No. 1178. 1474. 12. Apr.

*Domprobst und Capitel genehmigen und ordnen eine zu Gunsten der bei dem Kirchendienst thätigen Chorschüler gemachte Stiftung.*

Theodericus de Schonberg praepositus, Johannes de Weyszenbach utriusque iuris doctor decanus totumque Misznensis ecclesiae capitulum universis hanc paginam audituris in omnium salvatore salutem. — Noverint universi, quod — honorabiles viri domini Johannes Muchel oculus decani et Johannes Alsfelt praefatae Misznensis ecclesiae perpetui vicarii testamentarii — honorabilium virorum quondam dominorum Johannis Deutschendorff episcopalis et Burckardi Nawman similiter perpetuorum vicariorum — considerantes aerumpnas et miseriam pauperum choralium ecclesiae servientium, qui saepius coacti sunt in civitate Misznensi hospitia mendicando acquirere et propter plura alia inconvenientia necessitate compulsi divina officia quae respicere deberent negligere, pro choralibus aedificari procuraverunt in domo scholae unam stubellam stubae scholae versus septentrionem continuam et cameram annexam, in qua camera factae sunt quatuor spondae cum totidem cistulis sive sedilibus, ante quamlibet spondam unam pro rebus choralium conservandis. Ordinaverunt insuper praefati testamentarii iam pro dicta choralia sex lectos, octo paria lintheaminum, octo cussinos et quatuor pulvinaria proprie houptpfol, quatuor matracias sive mattas ex cella et quatuor tecturas super lectos proprie schalunen. Quae omnia et singula oculus decani una cum succentore ministrare debent choralibus modo, quo sequitur. Super festo Michaelis duobus choralibus debent distribui una matraccia, unus lectus, duo lintheamina, unum pulvinar et duo cussini, similiter aliis et aliis duobus, sic quod semper ad unam spondam, si tot chorales in choralia manere volunt, extra tamen choraliam nulli eorum de praedictis quidquam concedi debet. Et quicumque choralis aliquid de his rebus receperit ab oculo decani et succentore, ut praefertur, pro his respondeat, et si perdantur, solvat pretium pro eis et munde propriis suis denariis teneant. Super festo vero penthecostes quilibet quantum recepit cum gratiarum actione restituat lotis tamen et mundatis rebus de proprio suo. Quibus restitutis et in loco suo repositis ministrentur duobus et duobus choralibus loco lectorum una schaluna et duo lintheamina recentia, quae in esse ab his, qui suscipiunt, munde serventur et sub bona custodia ut prius. Hic nomine choralium non includuntur substitutus locatus et signator eo, quod isti speciales cameras habent, sed praefatae res pro choralibus in choralia degentibus expendi debent et non pro aliis. Et quia parum esset rem incipere, nisi etiam esset unde in esse conservarentur, ideoque praefati testamentarii disposuerunt singulis annis pro praefata choralia duos florenos Renenses aput consulum in Osschatz de pecuniis domini Burckardi Nawman pro quadraginta florenis emptos ad reemptionem, prout in eorum littera desuper data plenius continetur. Qui floreni per oculum decani et succentorem colligi debent et pro conservatione aut restauratione praedictarum rerum, cum necesse fuerit, expendi. Comparaverunt insuper dicti testamentarii dimidiam sexagenam novorum grossorum aput providum virum Nickel Stroschin in Quaszkewitz de pecuniis domini Johannis